

L. C. F. LACTANTIUS (ca 250 † post 317)

DIVINAE INSTITUTIONES (304-313)

- 175 Lib. IV, cap. XII. Descendens itaque de coelo sanctus ille Spiritus Dei sanctam Virginem, cuius utero se insinuaret, elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, et sine ullo attactu viri repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quaedam vento et aura concipere solere omnibus * notum est, cur quisquam mirum ^{PL} 6, 478 putet, cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus? Quod sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa saecula Prophetae cecinissent. [...] Propheta Esaias, cuius verba sunt haec: *Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum; Ecce Virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabitis nomen eius Hemanuel.*¹ Quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista iudaei, qui eum negaverunt. Si quis nos haec fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hemanuel autem nunquam vocitatus est, sed Iesus, qui latine dicitur salutaris, sive salvator; quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed propheta declaravit hoc nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel enim significat, nobiscum Deus; scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra, et in carne mortali. Unde David in psalmo LXXXIV: Veritas, inquit, de terra orta est; quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit.
- 176 Cap. XIII. [...] Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, ut et ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine patris officio virginali utero procreatus est, ut mediam inter Deum et hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere. Factus est et Dei Filius per spiritum, et hominis per carnem; id est, et Deus et homo. ^{PL} 6, 483
- 177 Cap. XXV. [...] Sed tamen, ut certum esset a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroque concretus: sed ut appareret etiam in homine illum esse coelestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum; et sicut pater spiritus eius Deus sine matre, ita mater cor- ^{PL} 6, 524

¹ Isa. VII, 14.

poris eius virgo sine patre. Fuit igitur et Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus.

S. ALEXANDER Alexandrinus († 328)

EPISTOLA

- PG 18, 568 Ad Alexandrum Constant., XII. [...] Μετά τοῦτο τήν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν οἶδαμεν ἧς ἀπαρχή γέγονεν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, σῶμα φορέσας ἀληθῶς καί οὐ δοκῆσει, ἐκ τῆς Θεοτόκου Μαρίας. 178

EUSEBIUS Ep. Caesariensis in Palaestina (ca 263/265 † 339/340)

HISTORIA ECCLESIASTICA (312-324)

- PG 20, 100 Lib. I, cap. VII. [...] Καί δὴ τοῦ Ἰωσήφ ᾧδέ πως γενεαλογουμένου, δυνάμει καί ἡ Μαρία σὺν αὐτῷ πέφηγεν ἐκ τῆς αὐτῆς οὔσα φυλῆς, εἶγε κατὰ τὸν Μωϋσέως νόμον οὐκ ἐξῆν ἑτέραις ἐπιμίγνυσθαι φυλαῖς· ἐνὶ γὰρ τῶν ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου καὶ πατριᾶς τῆς αὐτῆς ζεύγνυσθαι πρὸς γάμον παρακαλεῖται, ὡς ἂν μὴ περιστρέφοιτο τοῦ γένους ὁ κληρὸς ἀπὸ φυλῆς ἐπὶ φυλήν. 179
- PG 20, 560 Lib. VI, cap. XVII. [...] Αἴρεσις δέ ἐστὶν ἡ τῶν Ἐβιωναίων οὕτω καλουμένη, τῶν τὸν Χριστὸν ἐξ Ἰωσήφ καὶ Μαρίας γεγονέναι φασκόντων, 180

- PG 18, 567 Ad Alexandrum Constant., XII. [...] Ad haec novimus resurrectionem mortuorum; cuius primitiae fuit Dominus noster Iesus Christus, qui carnem revera gestavit, non sola specie, sumptam ex Maria Deipara. 178

- PG 20, 99 Lib. I, cap. VII. [...] Porro recensita hoc modo Iosephi stirpe, simul etiam Mariae genus, quae ex eadem tribu erat oriunda, tacite expositum est, lege siquidem Moysis inter diversae tribus homines erant vetita connubia. Uni enim ex eodem populo eademque gente mulier nubere praecipitur, ne sors patrimonii in aliam tribum transferatur. 179

- PG 20, 559 Lib. VI, cap. XVII. [...] Est autem Ebionaeorum haeresis ita dicta, eorum qui Christum ex Iosepho et Maria genitum nudumque 180

- PL 6, 1050, 1051.
- S. EUSTATHIUS EP. ANTIOCHENUS († 337): PG 18, 678, 679, 683. Nonnulli viri docti attribuunt *S. Eustathio* op. « Expositio Fidei » et « Sermo maior de fide » quae exstant inter op. S. Athanasii. PG 26, 201, 205, 1265, 1269, 1272, 1273, 1276, 1277, 1284, 1285 (cf. ALTANER, 281; BARDENHEWER, II, 27).
- IUVENCUS AQUILINUS († ca 337) PL 19, 73, 83, 88, 89, 92, 101, 158, 216.